

Antonio Sanfelice


**ANTONII SANFELICII.|| CAMPANIA.|| LIBELLVS IN GERMA=||NIA ANTE NON  
EDITVS, QVI || POETAS ET HISTORIAM LEGENTIBVS,|| etiam geographias  
studiosis, cupidis denique lon=||ginqvas regiones visendi non minus vtilis || sit  
futurus, quàm iucundus.||**

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1580

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1740384911>

Druck Freier  Zugang






1004



*Sc-1004.*





ANTONII SANFELICII.

CAMPANIA.

LIBELLVS IN GERMA  
NIA ANTE NON EDITVS, QVI  
POETAS ET HISTORIAM LEGENTIBVS,  
*etiam geographiae studiosis, cupidis denique lon-  
ginquas regiones visendi non minus vtilis  
sit futurus, quàm incundus.*

ROSTOCHII


*ex officina AVGVSTINI FERBERI.  
Anno M. D. XXC.*

*S. c. 1004.*

ANTONIUS SNEDECHE

CAMPANIA

LIBRARIUS IN GERMANIA



ROSTOCK

LIBRARIUS IN GERMANIA

IOACHIMO BASSE VITIO  
CONSILIARIO DVC. ME  
G A P O L . S . D .  
IOANNES CASELIUS.

**S**anfelicij Campaniam, cuius exem-  
plum Neapoli vnum nactus olim  
fueram: neq; vidi aliud: perire  
pati non potui: quin si alibi ab alijs  
conseruaretur, nostris eam homi-  
nibus inuidere non debui, ita plene,  
vt ab alio nemine, descriptam. Hoc meum erga ho-  
mines eruditos & bonæ doctrinæ cupidos studium, scie-  
bam te cumprimis probaturum. Non enim intimos tuos  
sensus, & grauede omni genere litterarum iudicium.  
Itaq; sumpsi hinc occasionem tecum de nostra amicitia  
loquendi, ab vltimo eius ortu facto principio: non e-  
quidem, quod eiusmodi commemorationem aliquam ne-  
cessariam esse existimem, sed vt illa recordatio coniun-  
ctionis animorum nostrorum veteris, veluti renouatæ  
seu denuo representatæ, quantalacumq; voluptatem,  
hac ætatis nostræ maturitate, ne quid dicam de tempor-  
rum tristitia, cui omni ratione si publicè non possint,  
tamen sapientes priuatim querere medicinam solent,  
animis nostris aspergeret. Quæ honestè enim gesta sunt,  
etiamsi cum molestia, labore, periculo; quoad viuimus,  
A 2 incun



4  
iucunda sunt, nosq̄, quoties premimur etiam graui-  
ter communibus huius vitæ incommodis, nobis sepe red-  
dunt, siue conseruant: sine dubitatione vero subleuant.  
De me nihil hoc loco dicere debeo. Didici namq̄, leges  
modestiae, & ad eas non solum orationem, sed & ani-  
mum comparauimus meum. De te etsi ad te sine suspitione  
assentationis rectè possem, quando ingenium meum no-  
uisti apertius, quàm ut ad potentissimorum nutus &  
voluntates me possim indecorè componere: tamen agam  
parcius: neque tamen non de tuis virtutibus & litteris  
aliquid delibandum est. Vtriusq̄ enim generis acre in  
te studium te adolescentiorem tum adolescenti mihi con-  
iunxit. Virtutum igniculi primi sunt, ni fallor, probitas  
& modestia, quibus erat præ æqualibus ornata tua ado-  
lescentia: neq̄ nõ ad hasce duas, morum accedebat singu-  
laris comitas. Ab eo tempore, hoc est ab annis plurimis,  
probasti omnibus, quis reuera esses, facileq̄ principes  
etiam viros tibi deuinxisti. De litteris, quas coluimus,  
potissimum mihi in mentem venit. Coluimus enim eas  
pari diligentia non admodum diuersas. Et si enim tu &  
prius & multo magis atq̄ ego ad disciplinam iuris ci-  
uilis te contulisti; tamen æquè dediti fuimus, tum omni  
bonæ elegantiq̄ doctrinæ, tum artium scientiarumque  
omnium architectrici, quæ à ciuitate politice dicta est:  
in omni genere quantum vterq̄ profecerimus, neutrum  
hactenus pœnitet: quin de te non minus, quàm de me ipso  
affira

affirmauerim, sitim illarum non potuisse nos vniquam,  
neq. posse restringere. Sentiebas enim, & rectè quidem  
sentiebas, neq. hodie sententiã mutasti, nunc cum ratione,  
cuius species quem forsita sefellerit, tum vsu, cui in vi-  
ta communi plurimum iure tribuitur, confirmatus: sen-  
tiebas igitur, non esse illotis, vt aiunt, manibus tibi ac-  
cedendum ad rempublicam, & legum solam cognitionem  
foro, cui destinatae essent, satisfacere: necessariam etiam  
ad vniuersam remp, neque tamen non & vberiore do-  
ctrina & aliqua eloquentia oportere esse instructum,  
qui sententiam in curia & senatu principum salutarem  
cum auctoritate esset dicturus. Itaq. non attigisti pri-  
moribus labris, illam vel solo nomine, vulgo acerbam  
philosophiam, conscriptam Latinis litteris sane com-  
modè, sed Gracis multo plenius: ex quo perenni fonte,  
quidquid boni in rebus est mortalium, diuinitus proma-  
nat: quod quibus secus videtur, illa prouenire ex teme-  
ritate & stultitia, absurdissimè omnino, dicere necesse  
est. Sed illos conuincendi locus non est: neq. conuictos  
videre posse, quid veri sit, existimauerim, carentes vi-  
delicet principijs. Itaque carus eras etiam doctissimis  
viris, quos non minus ipse obseruabas: non solum tuis  
equalibus: in his vero mihi maximè, & quotidie hoc  
magis, quo maiorem studiorum similitudinem in no-  
bis deprehenderem. Neq. enim à læctione poëtarum, quos  
antiquitas pro philosophis habuisset, abhorrebas, et iudi-  
cabas,

cabas, cum ex Homero erudisset Macedonum regem  
maximum maximus ille philosophorum, nos quæ ad mo-  
res & vitam & orationē quoq; facerent, ex eodem pos-  
se desumere, si idoneos interpretes, non autem meros  
grammatistas, fuisset nacti. Addebas, de quibus nos  
monuissent magistri dicendi, ipsosq; oratores optimos.  
Sed in primis historia te suis illecebris capiebat: quæ, ut  
speculum, omnibus vitam hominum ob oculos ponit, sed  
eadem intelligentioribus est viuendi regula, optimorum  
consiliorum bonis thesaurum suppeditans. Cum insuper  
cognouisses, intelligendis et veluti spectandis rebus olim  
in orbe terrarum gestis, cum geographorum scripta,  
tum contemplationem multarum regionum conferre  
plurimum: non solum in umbra, quæ in otio liberali, nobis  
occurrunt negotia, tractasti sedulo, sed etiam tempus,  
sumptum, valetudinem (neq; enim dicam quæ commoda  
neglexisse videri queas) contulisti in peregrinationes  
varias, ad longinquas, sed easdem cultissimas terras  
videndas. Non capiebas inde leuem voluptatem, ut ex  
fortunatis plurimi, neq; patrimonium augere cogitabas,  
ut negotiatores, qui iacturam insuper patrimonij ho-  
nestam faceres: sed, quam dixi, animi culturam expe-  
tebas. Certe enim, vel ad intelligendas historias, vel ad  
incendendam earum cognoscendarum cupiditatem non  
mihi parum videtur conferre locorum rebus gestis illu-  
strium consideratio: ipsa autem animaduersio morum,  
Vitæ

*Admiratione Libani  
no Rostock*

R. E. C. I. A. R. I. S. S. I. M. O.

*vitæ, consiliorum variarum gentium, quædam via est, à politica non abhorrens, ad illa omnia informanda re-  
 etius. Qui ita paratus ad politiam accedat; non ille, quo-  
 ties sententiam dicit, in Care, vt dicitur, periculum facit,  
 sed instructus est facultate optimè de mortalibus me-  
 rendi, moderatrice totius vitæ, omniumq; eius partium.  
 Qui contra sentiant, hos ego cum vulpe Æsopica compa-  
 rem, quæ cum in sentibus caudam amisisset, concilio sue  
 gentis, haud scio quibus argumentis persuadere, conata  
 fuit, vt hoc onus, quod semper honori vulpibus fuisset,  
 omnes suo exemplo deponerent. Hos etiam contemnere-  
 mus, nisi vel exemplo, vel suasu suo adolescentes à re-  
 lecta & longa & difficili via abducerent. Vides, Basse-  
 uiti, ob quas litteras te semper amauerim. Cum autem  
 præterea multa de tuis laudibus verè possim dicere: ta-  
 men id non faciam, ne quid auribus tuis dedisse potius,  
 quàm de communitate studiorum nostrorū, quod vtriq;  
 suaue esset, tecum loqui voluisse videar, occasionem na-  
 etus ex hac Campania: quam cum leges, tum minimum  
 sed pulcherrimum peregrinationem tuarum iter, animo  
 mecū releges & contemplaberis, & si apud te qui erunt  
 ex amicis nostris, homines nobiles & eruditi, eos cogi-  
 tatione illuc, tanquam in rem præsentem, gratissimo ora-  
 tionis filo duces, homo εὐνοῦργος τε καὶ εὐλόγος.  
 Vale ROSTOCHIO IV. Id. Nouembris  
 Anno CI). D. LXXIX.*

PRÆ

PRÆCLARISSIMO SE  
NATIVI POPVLOQ. CAM-

P A N O

ANTONIUS SANFELICIUS

S. P. D.



*H*umanis animis rerum diuinarum, atq; humanarum scientiæ cupiditatem à natura insitam esse constat. Id nobis, amplissimi ciues ea ratione ingenuit, quo bruta animantia, quæ viribus, velocitate, vitæ diuturnitate, cæterisq; corporis bonis nobis præeunt, vno intellectus cælesti dono antecellamus. Verum quum non sit omnibus eadem vis mentis, diuersa doctrinarum genera homines pro animi captu secuti sunt. Theologorum disciplina super æthera euolans diuina scrutata est mysteria, eaq; mortalibus reserauit, vt summi boni cognita bonitate, illius desiderio & amore accenderemur. Qui non tam altè explicuerunt alas, mundi spheram, inferioresq; siderum globos scrutati sunt. Infra hos quidam elementorum ignis, & aëris effectus varios subtili inuestigatione perquisierunt, alijsq; alia. Ego vero, qui meæ Mineræ parum credens, in sublimia abire non sum ausus, terrarum sequi cognitionem, quæ me à puero mirificè delectauit, operæ pretium existimaui. Quumq; in ea diu versatus intelligerem quicquid ibi proficissem, ponendam esse in medium, humanæq; imperitiendum societati, cœpi cogitare de Italicarum urbium descriptione, præsertim quod ab Higino eodè argumento confecti libri perijissent, admodumq; pauca de M. Portij Catonis originibus fragmenta supersint. Ea de re mihi deliberanti subiit præceptum illud:

Sumite materiam vestris qui scribitis equam Viribus.

Itaq; mei vires ingenij metitus, videns me oneri imparem, ad faciliora verti stylum, vnamq; Italiæ partem Campaniam mihi tractandam delegi. Opus ipsum DEI æterni omnipotentis numine absolui. Inchyta Capuæ merito debetur Campania, quam & Latini & Græci scriptores Campania dixerunt principem: quin propter amplitudinem, opumq; potentiam posse omnibus in terris imperij nomen, ac dignitatem sustinere. Huc accedit, quod Illustrissimus Iulius, Paleniorum comes, nobilissimæ Capuæ nobilissima proles, me, vt hanc ederem chorographiam, vehementer accendit, Musarum & pietatis cultor. Valete.

# CAMPANIA

## ANTONII SANFELICII.



Ampaniam scribimus, situm, dimensionem, agri naturam & antiquos in ea populos: contexere cum his placet insignia illius æui edificiorum monimenta, quæ licet semidiruta, aspectu tamen cum oculis, tum animo grata sunt. Gratificandum duximus doctis, curiosisq; viris, quos horum operum peruulgatum tota Europa nomen è longinquis allicit terris, quibus nostra hæc scripta quasi dux erunt ad ea pernoscenda. Neq; vero nobis vitio vertendum est, quod geographica, eruditis tractata ingenys scribere aggressi sumus. Non enim ego in orbis terrarum descriptione versor, sed in exigua eius parte mihi nota, qui patrium sedulo peragraui agrum, ne incognita pro cognitis, nèue pro veris falsa traderem. Id potissimum me Campanum hominem ad hoc suscipiendum munus excitauit, atq; impulit, quod dum è geographis quidam dimetiendis cæli circulis, geometricæq; incumbunt subtilitati, dum aly ad enarranda rerum miracula se occupant, & aly ad honestandam patriam sunt nimis intenti, ornandæ Campaniæ parum studiosi fuerunt. Pudebat seminudam intueri parentem, meq; illam oportere velare percepi, quod si elegantiore pur-

B

pura

pura (vt decet) non operietur, qualicumq; poterimus stola contegemus. Verum enimvero non est ardui operis, quod pulchrum, quod bonum est, ornare laudibus. Quisquis enim eius amœnitatem, cœli clementiam, soli vbertatem, maris, fluuioꝝ, & lacuum norit comoda, Campaniam naturæ delicias non negauerit: Heic ver assiduam, atq; alienis mensibus æstas, Bis grauidæ segetes, bis pomis vtilis arbas.

Quod præconium, quamuis vniuersæ Italiæ tributum videatur, non iniuria tamen sibi illa vendicat, vbi nullo non tempore flores floribus, pomis poma, & fruges frugibus, vernante semper vel autumnante temperie, succedunt. Bona pars eius secundo seritur semine, fert biferas arbores, fert vel trifero prouentu vites, in quibus mira varietate pars vuarum floret, pars defloruit, sunt turgescences, sunt acerbæ, alijs maturescen-  
tibus, alijs iam maturis. Suggestit succi plena nutritrix alimenti plurimum, neq; modo suos fœtus, verum etiam alienos inexhausto alit vberẽ. Voco autem alienos, alumnas arbores, tum pecudes, quæ tametsi alijs atque alijs è terris ad nos transmigrarint, non aliam heic vitam viuunt, ac in genituali solo, de quibus suo loco. Consulco autem in superiori carmine pro pecudes substitui-  
muſ segetes, quum nobis non duplex ouium partus, vt Samnio, Lucanisq; pastoribus, pascua mutantibus  
sed

sed duplex voluente anno contingat sementis. Hæc in  
vniuersum, nunc singula attingenda, eo seruato ordine,  
vt primum maritima, deinde persequamur mediter-  
ranea.

**T**erra Italiae mediam longitudinem transgressa,  
Campania ad inferi maris oram recubat. E cœli  
positione temperamentum habet, quæ tantundem propè  
ab austrino recessit æstu, quantum ad hyemes septen-  
trionis accessit, quod ad salubritatem facit, bonumq̃  
humani corporis constituendum habitum. A Lire flu-  
uio ad Sarni ostium pertinet sexaginta passuum mil-  
libus excurrente planicie, quæ ab ipsa camporum laxi-  
tate facta est Campania. Hi amnes, eius duo latera  
constituunt, hic ab ortu, ille ab occasu. Boream versus  
montibus cingitur, Sammites & Irpinos excludentibus,  
quartum vero latus mare possidet. Latitudo eius va-  
ria, vt tamen, qua maximè panditur, triginta non ex-  
cedat milliaria, quod si totius ambitus subducatur ra-  
tio, colliget ad centum & sexaginta passuum millia.  
Liris ex Apænino monte decurrens (geographorum  
ritu ab occidentali plaga narrationis facimus initium)  
in Soranum primo se fundit agrum, tenuis antè, quàm  
Fibreni fluminis ebibat aquas. Hunc multi existimant  
è Fucino superiore Marforum lacu per emissarium,  
quod Claudius Cæsar fecit, occultis huc delabi venis, sal-



sa opinione, quando M. Tullius longè ante eius imperium de Fibreno meminit. Ab utriusq; conflente Liris torrentior ad cataractam properat, præceptsq; ruit præcipitatus impetum premit, sedatoq; cursu abiens tanquam duarum arbiter gentium Latio fines præscribit, & Campanis. Minturnas Romanorum coloniam is olim diuidebat, Glanicus antea vocatus, dimidiatiq; corporis alteram nobis tribuebat partem, Latinis alteram: ponte utraq; eius ripa iungebatur eo loco, ubi fluuiali scapha trajciuntur viatores. Minturnarū, quæ iam corruerunt, stat adhuc putre amphitheatrum, à quo non procul ductus aquæ conspicitur arcuatim procurrens. Post Minturnas Sinuessæ est hoc nomine dicta, quod sit in Suesse oppidi sinu. Sinope hæc prius vocabatur à Sinopensibus Ponticis colonis, quorum opus fuit. Emanant eius in agro balneæ, quas memorie proditum est mulierum sterilitati succurrere. Per Campaniæ litus vulgo prorumpunt aduersum morbos aquæ salutares, non tamen omnes eadem facultate, sed aliæ alia pro soli ingenio. Plurimi enim refert, per quos terræ meatus fluant, quæue metalla in cursu alluant, unde exueltas qualitates in affecta constat transfundi corpora. Plinius, qui in Latinorum numero populorum Sinuessanos reponit, audiendus non est, quippe magis à vero aberrans, quàm à Latinorum finibus absit Sinuessæ.

nuessa. Latium enim vetus à Tiberi ad Circeos ser-  
 uatum est, indeq; ad Lirem nouum, quod adiectum quoq;  
 appellabatur. A Sinuessa est amnis Sauo, qui ex Au-  
 runcorum profusus montibus Sidicinum, Stellatem, &  
 Falernum agros modicus interluit, nullis breui in curri-  
 culo auctus riuis. Sequitur Vulturinus triremium ca-  
 pax aequè, atq; Liris, quum vtriq; longius euagantes co-  
 mites aquas abolitis earum nominibus secum ad mare  
 ducant. Vulturini fons in Samnio est, qui dum confra-  
 gosa Samnitium percurrit loca, rapido fertur lapsu Ve-  
 nafrano tenus campo, vnde vi repressa placidus conti-  
 nuat iter, mediam secans Campaniam. Piscium copiosus  
 est, vere in primis, propter clupearum multitudinem,  
 quæ huc ad tutum partum subeunt, gignitq; formosos  
 lupos, sed in Samnio tantum. Deinceps Gallinaria est  
 silua mari præcincla, & Literno lacu, quæ ciuilibus bel-  
 lis materiem fabricandæ Sex. Pompeij classi suppedita-  
 uit. Hanc latrocinij infestam consecuta tempora spo-  
 liarunt arboribus, quæ nunc iligna glande, & arbuscu-  
 larum cæterarum fœtu hybernâ venatoribus, pariterq;  
 aucupibus inescat prædam. Liternum lacum quæstuo-  
 sum facit mugilum assidua captura sub dies præcipue  
 halcyones, quod id temporis eius fauces occlusæ arena  
 fluctibus aggesta, piscatorum opera recluduntur. præ-  
 tentis prius retibus. Iuxta lacum stetit oppidum Li-

B 3 ternum,

ternum, cuius vel ruinae perierunt, locus tamen ob ma-  
 ioris Africani memoriam in omne seculum celebrabitur.  
 Hoc sibi domicilium relicta ingrata patria delegit Sci-  
 pio, quod ante obscurum, illustravit vir ipse illustris, non  
 tam genere, dignitate, laureatisq; fascibus, quam mo-  
 destiae, fortitudinis, patientiaeq; titulis. Heic ille cum  
 philosophia reliquo vitae tempore negotium habuit, &  
 cum re rustica, triumphaliq; dextera laboriosum saepe  
 rexit aratrum. Huc adiacet Cumanus ager Phlegraeus  
 Graece à Phlegra Thessaliae valle, quum utrobique gi-  
 gantum pugnam poetae vulgarent, illic contra Iouem,  
 heic cum Hercule eius filio ex Hispanys redeunte  
 utriusq; gentis ferociam hoc commento demonstrantes.  
 Haec latifundia Latini appellarunt Laborias, quae  
 duabus intercluduntur militaribus vijs altera Cumis,  
 Puteolis altera Capuam ferentibus. Sunt Laboriae ea  
 fecunditate: ut vel cupidi agricolae labori respondeant  
 fructu, restibilesq; nec stercorationem desiderent, nec  
 intermissionem. A Cumæis & Chalcidensibus conditi  
 sunt Cumani, qui ducibus Hippocle, atq; Megasthene  
 ad quaerendas sedes profecti, huc appulerunt. Felicium  
 fertilitate praediorum aucti ciues eo progressi sunt o-  
 pum, ut Hetruscis Italiae fere imperitantibus parere  
 recusantes obuiam ierint, eorumq; fregerint impetum.  
 Italiae, Siciliaeque vrbes Cumæ antiquitate praestiterunt,  
 quarum

quarum miserandum (vt ita dicam) cadauer quisquis aspexerit, non poterit non grauiter affici. In rerum vicissitudine vrbs tanta versa est in caprilia, in cuius loci tepore aliosum id pecus hyeme commode stabulatur. In pelagus illa prominebat dextra Neronis fossam, leua Acherusiam spectans paludem. Vasto, effreniq; animo matricida fossam ipsam instituerat, Ostiam vsq; perducturus, quo sibi magicæ addicte ad Auernales magicas vanitates expedita, tutaq; semper pateret nauigatio. Accedebat eò, quod Canopicæ Alexandrinorum fossæ cupiebat modulantes imitari choros, vt eorum exemplo inter fidicinum cantica iste citharædus, interq; psalterias vltro, citroq; per deriuatum veclaretur Tiberim. Irritæ temeritatis fossa, quæ nunc lacus marinus est, remansit testis, quod nobis piscandi commoditate, prosperè cessit. Altera rursus Amyclano in sinu ab eodem inchoata, fisci exhaustis thesauris, destituta est maximo Amyclensium detrimento. Fuit enim in causa, quamobrem vinum Cæcubum disperierit, cui principatum multi dederunt. Acherusia palus est inter Cumas, & Misenum, cui ferrugineo colore squalenti nomen à Stygio Acheronte indiderunt. Misenus promontorium de sepulcro Miseni Troianæ classis tubicinis appellatur, cuius ossa hoc in monte insignium more virorum Aneas condi iussit, id honoris eius tubæ defere-

rens.

rens. Hinc mare velut in estuarium se fundens, Baianum efficit sinum, Romanis civibus magnopere expectatum. Etenim qui diutinis militiae laboribus iactati fuissent, siue quem urbanae ambitionis coeperat satietas, quae forum, plurimasque alias urbis molestias ferre amplius nolissent, in hunc otii portum confugiebant, ubi animus post curarum fluctus, subductis superbiae velis, & pacatae vitae iactis anchoris, seipsum colligeret atque recrearet. Aegritudines haec via effugiebant, aegraque curabant corpora, edocti quae balneae quibus mederentur morbis. Multis in terris medicamentosi exiunt fontes, qui in Liguria Statiellas, & in Narbonensi provincia Sextias aquas, condiderunt oppida: nusquam tamen largius, quam haec, propinquisque locis, nec tam varijs auxilijs aduersae valetudinis. Sunt his fontibus priuata remedia, generatim vero senes fouent, & stomacho imbecillos, quartanaeque febre laborantibus adsunt. His praeterea in collibus sunt excauati cuniculi, quorum feruidus vapor noxios e corpore eliciens humores non mediocres efficit utilitates. Valetudinis igitur gratia, & ob mercaturae negotiationem Puteolis frequentissimo in emporio, loca haec innumera hominum celebrabat multitudo, regna Puteolanae eam ob causam a M. Tullio dicta. Strabo hunc sinum continuis adibus ita excultum scribit, ut vnius urbis offerrent aspectum, quod

quod ex earum reliquijs facile perspicitur. Illiciebant etiam piscandi oblectamenta, tum è mari maritimisq; piscinis, tum è lacubus Lucrino atq; Auerno. Lucrinenses voluptates erant præcipuæ, ubi ganeæ studiosi non modo altilium piscium, sed etiam ostrearum construxerunt viuaria, non contenti ijs, quas copiose gignebat Lucrinus, ob id ostreosus cognominatus. His de causis non minoris heic publicè & priuatim edificabatur, quam in vrbe, vtq; ad Tiberim superba erat Roma, ita heic deliciosa. Vna in tot opportunitatibus gelida ad potum desiderabatur aqua, calidis duntaxat fontibus heic erumpentibus. Grandem idcirco pecuniam Romano ex ærario erogare necesse fuit, tum in riuos fornicato opere, perq; actos in montibus cuniculos, à quinto & tricesimo milliario deducendos, tum in receptacula aquarum facienda, non tantum ad Romanorum ciuium vsu, sed etiam classiariorum militum. Namq; senatus imperij consulens securitati, super omnia Italiæ, classem hoc in sinu in piratarum excursiones, & ad omnem naualis belli euentum habebat instructam, inter orientis occidentisq; regna mediam. E cisternis illis duæ impensa magnificentissima incorruptæ ad nostram peruenerunt ætatem. Harum altera in viuo Miseni lapide excisa frigidas intra montis viscera seruabat aquas, altera vero multiplici structilium pilarum versu,

C su,

*su, integra adhuc tectoria concamerationes sustinet. In-  
 fra hanc ad litus, lateritius tholus egregio assurgit o-  
 pere, qui ( quantum coniectura licet assequi ) intus con-  
 sidentibus aestiuos defendebat ardores, quoniam ad ca-  
 ptandas auras latis patet fenestrarum, & ostiorum lu-  
 minibus. Prope est Auernus lacus, Græcè Aornos:  
 Quod super haud vllæ poterant impune volantes  
 Tendere inter pennis: talis sese halitus atris  
 Faucibus effundens supera ad connexa ferebat.  
 Exhalabat quondam diram Mephitim, sed succisis po-  
 stea, quæ lacum ambiebant, densis syluis, ea pestis eua-  
 nuit. Is nostra memoria piscibus affluebat, qui nuper  
 pluuij cineris amarore ad vnum necati sunt. Eruperunt  
 superioribus annis è vastissimo terræ hiatu immensæ  
 flammæ, flammisq; commixti ingentes innumeriq; la-  
 pides, qui postridie eius diei in montem visu horribilem  
 congesti visi sunt. In ea ignium tempestate aliquot  
 balneæ obrutæ, planities Puteolis subiecta magna ex  
 parte monte occupata, Auernus præter piscium cladem  
 ad dimidium angustatus est: quin mare retrocedere  
 fuit coactum, vt nouam loci faciem, qui antea viderant,  
 demirentur. Auerni accolæ fuerunt Cimmerij, gens ra-  
 pto viuens, grassans in eos, qui ad Auernalia Plutonis  
 sacra contendebant. Ad hæc sacra, id est ad exer-  
 cendam magiam huc ibatur, & ab inferis manes ( ita  
 prisca*

prisci impij corpore exutas animas vocabant) ad vaticinationem exciendos. Magicæ artis professores Spectris quibusdam ita oculorum aciem perstringebant, ut ad cadauera sua manes euocari viderentur. Huius necromantie studio, Homericus Vlysses è Circeâ soluens insula ad hos Cimmerios venit. Hos dico, nequis in Homeri carmine intelligat Cimmerios, qui alio in orbe Meotim accolunt paludem, quam opinionem id excludit, quod ea nauigatio vnius fuit dies. Heic ergo Vlysses Vmbrarum fecit euocationem, humato prius Baia socio, vnde Baianus sinus, non ab vrbe Bays, quæ nulla fuit. Quod vero Auernales Cimmerij Scytharum Cimmeriorum cognomines fuerint, congruens inter eos vitæ ratio fecit. Efferatis erant virique animis, utq; illis à signiferi plaga longissimè sepositis crassior aëris caligo offunditur, ita hi obscuras inter Auerni sylvas, tenebricosisq; in specubus ad latrocinandum delitecebant. Medius inter Auernum & mare, Lucrinus fuit, Romanæ reipub. ob maximam piscium capturam maximè vectigalis, qui superuenientibus vndis, piscesq; excludentibus à C. Cesare obiectis in mare molibus munitus est:

Lucrinoq; addita claustra:  
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor.  
Hinc, atq; illinc firmissimo septus muro Lucrinus

C 2 G imo



Et imperturbatos continebat pisces, Et tutum subeuntibus velis præstabat portum. Hunc sequens ætas oppressa republica Augusto adulans falso portum Iulium appellavit:

Iulia qua ponto longè sonat vnda refuso.  
 Non enim Iulius de suo id opus fecit, sed à patribus missus faciendum curavit. Arcto spacio hi lacus se iungebantur, quod ex eo conijci potest. Nam vtrumque Augustus paruo negotio media effossa tellure in vnum confudit, ibiq; tota hieme, pugnaturus vere cum Sex. Pompeio, remiges, classiariosq; exercuit milites pugnam meditantés. Stante Romana libertate, Lucrinus munitionibus tutus oppugnanti obstitit mari, qua eversa, quum nulli essent rerum publicarum curatores, cessit pertinacibus vndis. Huius tyrannidis vindex fuit novus mons, quem memoravimus, qui mari ab iniusta possessione repulso factus est alter loci tyrannus. E regione montis, surgit collis, in quo truncum apparet ædificium, quod Puteolani pro certo habent Ciceronis fuisse Academiam. Huic opinioni fidem esse adhibendam ea mihi persuasit ratio, quod locus antiqui domini servat nomen, tum quod respondet topographiæ à Plinio factæ, quam adscribo. Dignum memoratu villa est ab Auerno Puteolos tendentibus imposta litori, celebrata porticu et nemore, quam vocabat Academiam M. Cicero.  
 Hæc

Hæc Plinius. Platonis æmulator non modo tractanda philosophia Arpinas ille esse voluit, sed Platonici gymnasij nomen in suam villam Musarum domicilium traduxit. Hinc factum est, ut gloriosis Græcis Atticam Academiam iactantibus, Latini Puteolanam opponerent, & Tusculanum Lyceo Aristotelico, quibus è fontibus moralis philosophiæ manarunt riuus. Puteoli vrbs à Samys posita, Dicearchia prius fuit de regiminis æquitate, quod in ea ciues sine ullo census, ordinisue delectu, ambitionis, continuoq; discordiæ fomite, ad regendam, seruandamq; patriam concordia caritate, pariq; inter se administrationis iure coniuncti essent. A Romanis dehinc colonis de paruis balnearum puteis Latinum impositum est nomen, quod est Puteoli. Hucusq; Campani ciues per Laborinos campos viam munierunt, ad comportandos agrorum fructus, vique hinc peregrinas exportarent merces, quandoquidem celeberrimum (vt diximus) Puteoli emporium erat. Ipsa in via, quæ adhuc Campana vocatur, vtrinq; lateritiæ, reticulatæq; structuræ se offerunt spectandas, quæ viatores tenent pascentes specie oculos eruditos. Spectatu quoque dignum est antiquum Puteolanorum amphitheatrum, circaq; ipsum innumera ruinosa concamerato opere ædificia, quorum quædam subterranea sunt peruiasq; inter se, tam perplexa tamen ostiorum ambage,

ut absq̄ duce, circumductōne fixoq̄ funiculo, negetur  
 exitus. Quare nos huiusmodi Labyrinthos anfractus  
 Dædalus relinquentes ingenijs, inceptum peragemus  
 iter. Neapolim hinc proficiscentibus subeundus est  
 cliuus, cuius ad læuam situs est campus, vndiq̄ mon-  
 tibus sulphureum exhalantibus vaporem circumdatus,  
 angustus adeundus faucibus. Intra eum aliquot in locis  
 scaturigines altius vti fornacis calcariæ subditis ignibus  
 ebulliunt, aspectu non minus horrido, quam quæ in Am-  
 psanti efferuescunt Irpinorum Valle. Vulcanium fo-  
 rum id fuit antiquis, vbi sulphurea conflantur potoria  
 vascula, quorum vsum lienosis prodesse compertum est.  
 Post hos montes, albicant Leucogæi aluminosi colles,  
 à candore nomen adepti, apud quos, teste Plinio, sca-  
 tebant balneæ, oculis opem ferentes & vulneribus. Sub-  
 iacet paruus lacus sterilibus omnino aquis, præditis ta-  
 men vi naturæ mira. Est in proximo terræ spiraculum,  
 afflatu intus tabifico: signum habens iuxta fauces,  
 quod non sine vitæ periculo præterire licet. Quodcumq̄  
 animal id transgreditur, procumbit illicò semianime:  
 quod si prius, quàm exanimetur, his tinguatur aquis,  
 ad salutem redit, factò in canibus sæpe periculo. Ea  
 lacus parte, quæ spectat in meridiem passim rimis fa-  
 tiscit humus, alibi minoribus, alibi maioribus, è quibus  
 iugiter euaporantes fumi, podagricis auxiliantur, præ-  
 sentiq̄

sentiq; remedio contractos renitentes nervos pristinis restituunt vitæ muneribus. Puteolani atq; Neapolitani agri terminus est Pausihpus mons, & promontorium, qui Græca voce bonum præferens genium rem nomini non habet disparem. Is præter liberum Campaniæ Picentinorum, maris, & insularum prospectum, præterq; vini laudem, pomorum omne genus dives est, beator tamen in citreis magnitudine, & odore præcellentibus, cibarijsq; vuis, apiana & duracina. Loci huius cum amœnitatem, tum salubritatem adamasse antiquos sumptuoso villæ cultu sunt testes, quarum in ruinis multæ effossæ inuentæ sunt mutilatæ columnæ, tum quædam integræ pretiosæ è marmore maculis pulchrè distincto, quæ in sacrarum ædium ornamenta translata spectantur. Laboriosius olim eius dorsum transcendebatur, quapropter ne à viatoribus superandum esset, ad eius inum ferro miliaria crypta fuit aperta, peruiio transitu, ea laxitate, quæ aduersa admittit plaustra. Vulgaris est opinio auctorem operis fuisse Lucullum, male fundata super M. Varronis verbis, non rectè intellectis, qui tertio de re rustica libro ait, Lucullum ad Neapolim per fodisse montem. Quod si, qui ita sentiunt, subnexæ orationis expendissent contextum, hanc impensam ei non ascripsissent, ex Strabone attribuendam M. Cocceio. Quod sequitur hoc est. Ac maritima flumina

mina immisit in piscinas, quæ reciprocè fluerent. Hæc plane docent non spectare præcedentia verba ad transitum per cryptam patefactum, sed ad specus paruos oblongiores, quos ad Pausilypi caput cernere est, latere vergente ad orientem solem. Per eos enim cunicolos æstuante sole reciprocantes maris euripi conclusos intra viuaria refrigerabant pisces. Asiaticam prædam ijs in sumptibus consumpsit Lucullus, de qua gaza profusa Xerxes togatus à Pompeio dictus. Neapolis ex Plinij historia Chalcidenses habuit conditores: quod vero scriptum Strabo reliquerit primos colonos fuisse Cumanos, non continuo dissentit ab eo, quum à Chalcidensibus fuerint propagati Cumani. Primum hæc Parthenope à Sirenis tumultu fuit, mox (quæ loci est opportunitas) nouæ coloniæ accepit incrementum. Nouis ciuibus non placuit cum veteribus tecla coniungere, sed in propinquo loco consederunt, hæc quæ fuit Neapolis, rursus Parthenope versa est in Palæpolim. Ignota hæc Solino fuerunt, qui ab Augusto cæpisse dici Neapolim scribit, quasi vero Augustus fuerit ante Ciceronis ætatem, apud quem sæpe Neapolim legas. Hæc duæ vrbes vnis claudebantur manibus, quæ postea vtrinq; aucltis teclis in vnum coâluerè corpus. Per Sirenum vero fabulam loci huius deliciosæ notantur illecebræ ad otia inuitantes, ad quæ nata fertur Neapolis. Mollis sane otio  
 animum

animum corrumpi dubium non est, contraq̄, litterarum  
 & studiorum perfici exercitatione. Id noscentes docti  
 modestiq̄ viri Sirenum cantibus, oclusis auribus, otio  
 non abutentes, & suæ famæ consuluerunt, & posteri-  
 tati. Quam debet humana vita agricolarum magistro,  
 à quo docti sumus:

Quid faciat letas segetes, quo sydere terram  
 Vertere conueniat?

A quo præterea didicimus:

Vlnis adiungere vites.

Neapolim vero illum hæc canentem coluisse quis du-  
 bitet?

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope,

Palladius quoq̄ heic agens de eadem re rustica.  
 præcepit, deq̄ citreorum cultu, quæ primus ipse demon-  
 strauit Italiæ. Non sunt prætereundæ syluæ Neapo-  
 litani vatis, quæ perpetuo comarum honore adhuc vi-  
 rent sæcula vincentes. Ager hic fecundatur Cerere,  
 Baccho circumopsiti colles, hortis vero exornantur sub-  
 urbana directis in quincuncem pomorum ordinibus.  
 Græcorum carmina, Alcinoi, Phæacum regis poma-  
 ria, & in Africa Hesperidum aurea mala magnificè  
 cantarunt. Quid si illi poëtæ tantum arborum Medi-  
 carum heic vidissent syluas? Has tamen nostri & ver-  
 D sibus,

sibus, & soluta oratione laudibus sunt profecuti, quippe  
quæ malum ferant, præsens venenis antidotum :

Quo non præstantius vllum,  
Pocula si quando sævæ infecere noueræ,  
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba,  
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

Multiplicis hæc mala generis colore ad aurum in-  
clinato, sed his verbis, si Macrobio credimus, com-  
mendatur citrium, cuius potissimum mali comesa se-  
mina, tum interior acida caro, haustis aduersantur ve-  
nenis, simul & oris emendant graueolentiam :

Animas, & olentia Medi  
Ora fouent illo, & senibus medicantur anbelis.  
Huc nos, quo hæc remedia manifesta fierent, digressi  
sumus: nunc ad id, quod restat itineris. Suburbium,  
quod secundum litus est, Sebethus alluit fluuiolus, ne  
lintrium quidem patiens, non tamen inglorius, sub no-  
mine Sebethidis nymphæ decantatus. Sunt qui malint  
per nympham Sebethida significari aquam, quæ pensili  
riuo influebat Neapolim, quod geminatus indicat du-  
ctus ad Ianuariam portam. Sebethum duo sequebantur  
memoria Herculis insignia oppida, Herculanium &  
Pompeij, quæ incendiorum iniuria versa sunt in vicos.  
Litteris proditum est Herculem debellatis Hispanijs  
Geryonis regis pulcherrima bouum armenta in Baianum  
sinum

frum exposuisse, ibique inter Misenum & Auernum ipsas caula Vallasse. Locus is de boum caula fuit primum Boaula, mox, vt vox ipsa dulcius sonaret auribus, facta est Bauli. Deliciarum hic erat locus, quo paulo antè Romanæ reipublicæ excidium multi nauigabant, ad spectandas insanas in mari substructiones, atq; loculatatas (Varronis vtor verbo) maritimas piscinas. Inde dux Græcus in patriam rediturus, Picentinos versus discedens, castra ad montem Vesuuium locauit, ibiq; constructis tectis, & agro, quem occuparat, viritim diuiso, copiarum partem, mancos belloque inualidos reliquit. Hæc fuit Heraclæa Græcis colonis, post Herculanium Latinis. Posito oppido castra ad octauum lapidem promouit, quo in itinere triumphalibus vectus est insignibus bobus, ipsis in morem captiuorum bello ducum præeuntibus. Quumq; ad flumen Sarnum ventum esset, confedit, alteraque ibi mœnia veteranis militibus extruxit, quæ de triumphali illa pompa fuerunt Pompeij. Heraclæenses ergo, Pompeianiq; populi idem fuit ortus, eorundemq; par fuit vitæ occasus. T. Vespasiani principatu Vesuuium montem vtriq; oppido imminentem conflagrassè constat, eiq; media eius voragine tantas erupisse flammæ, vt ad Ægyptum cineres peruenerint. Latè vagantes ignes, syluas, arbusta, casas, ædes, & quidquid fuit obuiū absumpserunt, liquatis quoq; saxis,



quæ instar ferreæ spumæ, miserabilem illam testifi-  
 cantur calamitatem. Haustum eo incendio Hercula-  
 nium, Pompeianos vero in scenicorum ludorum specta-  
 culo confidentes repentinus lapidum sepeliuit casus,  
 vniusque theatri cauea facta est totius ciuitatis vrna.  
 Cæterum mons ipse, quem tanta vastitas inuisum an-  
 tiquis fecerat, rependens fructu illata damna, inuenit  
 apud posteros gratiam. Cineris quippe calore hæc affecta  
 plaga magnam nobilitandis vinis vim accepit, è quibus  
 id, quod Græcum cognominatur, reliquis Italicis præ-  
 fertur. Hoc meracum in patria sumptum caput tentat:  
 verum tamè si nauigio transuehatur fluctibus iactatum  
 vi domita mitescit, fitque suauius: quod vtinam homini  
 vsu veniret. Amplissima arbusta, quibus cingitur,  
 escarias vvas, præter vini copiam, ferunt, quæ ad mul-  
 tam hyemem de arboribus pendent. Idem trilibria co-  
 tonea, pauloq; minora pyra, sorba, messila, syluestria  
 arbuta, cæteraq; serotina mittit munera, in quibus ex-  
 cellit iuxta, ac Puteolanus ager in præcocibus pomis.  
 Hæc est maritima Campaniæ ora, gemino definita li-  
 tore, Sinuessano scilicet, quod à Lire tendit ad Misenum,  
 & Neapolitano, quod à forma Græci appellarunt cra-  
 tera, Miseno & Athenæo promontorijs circumscriptum.  
 Ea sinus huius est apricitas, vt vernæ insitiones se-  
 mestri spatio autumnû dona proferant lætissimè. Nulla  
 est

est pomiferarum arborum, (de notis terris loquor) quæ heic non proueniat, & quidem feliciter, præter Vnam & alteram Syriæ peculiare.

Litore perlustrato exquiremus interna ab occidentali exordientes latere, vt priore factum est volumine. Principium Vestinæ damus, quippe primo in hac serie oppido. Eius ager erat Minturnensibus affinis, cuius extremus saltus Falernum contingebat agrum, quo in confinio à Ponticis colonis fuit posita Sinope, de qua meminimus. Hi Vestini (est & Vestinorum regio ad mare superum) ciuium prodicione ab Romano hoste capti funditus deleti sunt. Cum Vestinis stetit pariter vicina Vrbs Ausona, & cum ea pariter decubuit: Ausoniæ tamen non exoleuit nomen, duraturum in omne Italie æuum, quæ ab illa est cognominata Ausonia. Magnæ Græciæ oram antea tenuerant Ausones, cui rei argumento est mare illud cognomine Ausonium. Inde siue armis pulsî, siue ea sedes huic fuerit posthabita, in hanc Campaniæ partem commigrarunt, omnemque subegerunt regionem, quæ à Lire pertinet ad Campanum pontem. Ausonium stirpis est vicina huic agro Sueffa, cognomento Aurunca, ab Auruncis, qui inuadentibus finitimis Sidicinis huc destituta patria confugerunt. Fuit altera Sueffa Pometia Volscorum, quam Pontina palude ferunt haustam. Nostra Sueffa viuít.

D 3 arduo

arduo eminens in colle, quem plurimi inferiores circundant vicis frequentes, vitibus amicti atq; oleis, quarum bacca conditæ maximè probantur hodie, antiqui tamen Sidicinis & Picenis prætulerunt cunctis. Qui magis editi sunt montes, habent castaneta, ubi rei pecuarie periti, suilli pecoris greges hyeme ante glandium pastionem saginare instituunt, ad succidas longe ijs meliores, quas solæ glandariæ mittunt sylvæ. Sunt nunc Sueffanorum, à Vestinis quondamet Ausonibus possessi, fundi, quos linus montanis è locis in imbribus defluens, feraciores reddit ea ratione, qua pro inundantis Nili incremento frugibus cumulatæ Ægyptiis. Theanum quoque cognomine Sidicinum (habent & Apuli suum Theanum) Ausonum est gentis, cuius ager eximie est fertilitatis, longè lateq; patens, veruntamen qui prius unam locupletabat civitatem, hodie & Theanensibus, & multis circumpositis castellis rerum suppeditat copiam. Antiquis Theanensium eversis monumentis, struētibus superat canalus, cuius iugis riuo oppidi plateæ, tum portæ, salientibus ornantur & lacubus. Eadem aqua ad irrigandos olitorum hortos deriuatur, singulari donatos à natura munere apio capitato, quod fouendo stomacho, halituq; oris commendando cunctis antecellit oleis. Hinc ad quartum lapidem recesserunt Caleni, sed de via, quæ Cales ducit, diuertendum est, ne Castinates,

ANTONII SANFELICII

nates, & Venafrani seorsum positi prætermittantur. Casinum ad Latinam appositum viam M. Varro Samnites tenuisse prodidit, quod ad possessionem vi partam, non ad progeniem referemus, cum verisimile sit Casinates, aut Ausonum aut Latinorum (sunt enim inter utrosque medij) prolem esse. Est ager Casinas olei feracior, quam frumenti, magnumq; vectigal ex eo capiunt, comportantes in Latium, oppidaq; Samnitica. Labitur per hunc agrum flumen Vinium, ad cuius ripam M. Varronis fuit Museum, cuius rarissimæ villæ, elegans artificiosaq; forma in eiusdem auctoris contemplanda scriptis, legentis animum non parum oblectat. Quod vero tradit Strabo, novissimum hoc esse Latij oppidum, occupantium vim armorum intelligimus, non publicam iuridicamq; possessionem: alioqui Latinorum fines confunderentur, atq; Campaniæ. Ad Casinatium arua adiunguntur Venafrana, quæ in Campaniæ angulo ad Samnites se proferunt, à quibus, interfluente Vulturno, separantur. E montis cliuo Venafrani suas prius despiciebant spatiosas possessiones, ad quas postea commodiores culturæ gratia descenderunt, largo insuper invitante fonte, iam collapsò veterè ductu, qui à Vulturni capite ibat. Hæc æquora ad sexaginta amplius stadia expleantur, aratoribus bona, bona pastoribus, quæ montibus in theatri propemodum figurã inflexis cinguntur.

Montium

Montium imæ partes, appositique tumuli oliuís conue-  
 stiuntur, glareosa terra gaudentibus, & meridiano sole,  
 quarum oleo ob purum succum, palmam, vt ait Plinius,  
 vnguenta dederunt. Sed iam, vnde deflexit, regre-  
 diatur oratio. Cales Ausonum oppidum, Latine adia-  
 cet vice, cuius nobilitatis indicio sunt marmoreæ ibi  
 reliquiæ. Caleni antiquitus in aurea Italicarum vrbium  
 libertate, habebantur in populorum nobilium numero,  
 de quo dignitatis gradu Romanorum armis deiecti sunt,  
 actusq; de ijs in vrbe triumphus, ingenti comportata  
 præda. Stellatis ager Calenum attingit, atq; Falernum,  
 qui est à saltu Vestino ad Vulturum. Celeberrimus hic  
 tractus duo præcipua vitæ bona possidet, in collinis vi-  
 na, frumenta in campestribus, vt non minus verè, quàm  
 lepidè sit dictum, in Campania liberi, & Cereris esse  
 certamen. Per Falernas segetes cursum Appia infle-  
 tebat via, quæ sexto & decimo stadio à Campano  
 ponte Latinam viam excipiens, pergebat Brundisium.  
 Hæc est Ausonia occiduae Campaniæ regio, cuius ex  
 aduerso trans Vulturum sunt Osce, duas in partes di-  
 uisa Campania cisvulturnanam, & transvulturnanam.  
 Oscorem, quæ vetutissima est Italiæ gens, caput erat  
 Capua, cuius nomen ad Troianorum ducem Capym qui-  
 dam reuocant: Et Capys: hinc nomen Campanæ du-  
 citur vrbi.

Non

Non urbis conditor Capys, (legimus enim & Oscam, & Vulturnum prius vocatam) sed amplificator fuit. M. Varro ad campestem retulit sedem: Strabo ad rem ipsam, quod caput esset Campaniæ. Is quinto geographiæ libro sic ait. Quum autem urbes duodecim in Campania forent, Capuam perinde, ac illarum caput nominarunt. Huic concursus M. Tullius quum in Rullum oraret causam, hæc de huius excellentia urbis verba fecit. Romam in montibus positam & conuallibus, cœnaculis sublatam, atq; suspensam, non optimis vijs, angustis semitis, præ sua Capua planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atq; contemnent. Agros vero Vaticanum & Pupinium, cum suis optimis atq; vberibus campis conferendos scilicet putabunt. Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per iocum contendent, Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuuium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeijs, Nuceria comparabunt. Hæc ille. Ad id fastigium per fructuum magnitudinem, rerumq; omnium affluentiam ascenderit. Campanus quippe ager optimus, orbisq; terræ pulcherrimus ab omnibus celebratus est, de quo pœta, quum felicitatis terræ signa indicasset:

Talem diues arat Capua.

E

Opus

Opulenta erat, quum ille georgica canebat, nihil tamen ad illam Capuam, quæ ad immortalæ sui memoriæ publicorum operum erexit spectacula. Extant ex ijs duo: amphiteatri moles, opere Dorico, tam vasta, eaq̃ architectura, vt nemo sit, qui primo eius aspectu non obstupescat. Nam quamuis immanium barbarorum ferro incendijsq̃ lacera & corrupta, triumphantis tamen Urbis repræsentat imaginem. Non longè hinc, intervallo non tam effuso sumpta, sed absoluta itidem arte visitur tribus porticibus amplissima cryptoporticus, quæ tam longo æuo contra vim temporis resistit. Adscripsissem integra, ni rimis fatiscerent parietes, neue testudines stillicidijs essent obnoxia, dignum profecto opus, quod sartum tectum locetur. Animi causa huc Campani patritij ad antemeridianam inambulationem conueniebant, pomeridianasq̃ sessiones, vbi otiosas diei horas, quauis cæli exclusa iniuria, transigebant. Circa hæc loca aratro passim eruuntur prisce æris, argenti, auri pulcherrima numismata, tum doctissimorum manu artificum scalptæ gemmæ, Pariosq̃ è marmore elegantissima signa, præstantissima ciuitatis delicia. Oscoꝝ quoq̃ gentis sunt confines Calatini, atq̃ Acerantani. Trebula quoq̃ Osca fuit, Suessula, Atella, & clarum historijs Casilinum, de quo primum agemus. Id secundo bello Punico Italicæ virtutis fuit specimen, vbi

exiguus

exigua militum manus, post Cannensem cladem, non territa calamitosa Romanorum fortuna, insolentioribus Pœnorum copijs tanta animorum constantia obstitit, ut in summa cibartorum inopia, lora, detractasque scutis pelles, feruida mollitas aqua, mandere cogerentur, multis inedia enectis. Vulturinus Falernum agrum à Campano disiungens, Casilinum intermeabat, quod ad sulcos redactum est. Post Tifata montes, qui non procul aberant à veteri Capua, quique Samnium versus Campanis fines statuunt, & Calatinis, montana est Calatia, supra quam, seorsum tamen ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert, ferruminato nexu lapidibus apte inter se coherentibus. Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt qui dicant, quos ego non sequor, opinorq. ciues per ea tempora habitasse ubi adhuc habitant. Argumento mihi est perennis aqua influens subterraneo riuo in cisternam veterem, quæ in oppidi est umbilico, ipsaque aqua per æstiuos menses ob innoxium frigus ciuibus gratissima est. Addo etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua hoc incisum est epigramma.

M GAVIVS T F

Q VISELLIVS Q F

GALLVS

DVO VIR QVINQ

E 2

CRE.



CREPIDINES CIRC  
FORVM SPF.

Si ergo heic erat forum, continuo & oppidum, numquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles oleta distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur. Citra Tifata apertis in campis stetit Trebula, pari inter Capuam & Sueffulam intervallo, quæ iam æquata solo. Eius desertam sedem quum perscrutarer, inueni ab humo modicè exstantia theatri vestigia. Duce opus fuit ad locum inquirendum, quem Linius tertio & vicesimo historiarum libro nobis ostendit. M. Marcellus, inquit, à Canusio Calatiam petit, atq; inde Vulturno amne traiecto per agrum Sastriculanum, Trebulanumq; super Sueffulam per montes Nolam peruenit. In Liniâus autem codicibus, quos mihi videre contigit, Trebianum pro Trebulanum scriptum legi, quod mendam correximus eadem ex historia. Nam idem auctor alibi iuxta Capuam Trebulam nominat, non Trebiam. Hoc etiam confirmant geographica Ptolemæi tabellæ, quæ arithmeticis notis, mensuraeq; ratione propius Capuam monstrant Trebulam. Fundi ubi ea stetit, ut loco, ita messium fecunditate sunt Campano agro proximi. Atella, quæ in vicos abijt, non venit in dubium, ubi ceciderit. Nam oppidi situs eminent, quem depressa ambit fossa, viuitq; ibi eius nomen.

men. Romani propositis præmijs arte pollentes scenica,  
hinc accersebant, eorum facietis delectati fabulis, vt ta-  
men solutiores iocos, Latij seueritate temperarent.

Tanti autem Atellanios fecere mimos, vt Ennium  
ferant gratiam à Romanis inire cupientem, Oscam didi-  
cisse linguam, gloriariq̃ solitum, se tria habere corda,  
quod Latine, Græcèq̃ sciret, simul & Oscè. Adhuc his  
in locis histrionia viget, quasi per manus tradita, quæ  
in sacris fere vsurpatur exodijs. Atellana quoq̃ prædia  
rerum affluunt copia, quippe vicina Campanis. Acerræ  
palustris grauitate cœli, iam à priscis seculis sunt infre-  
quentes, infestante Clanio flumine, qui

Vacuis non æquus Acerris.

Agri bonitas inuitos retinet ciues. Est enim tum  
frumentarius, tum pascuus gramina maiori pecori,  
Ægyptijs maximè bobus, abunde suppeditans. Hæ bo-  
ues secundo abhinc tertioſe seculo nouæ incolæ fuerunt  
Italiæ, hodie nostrates habentur, quibus nos à patria  
excogitauimus nomen. In Ægypto siquidem hæ pe-  
cudes rem pecuariam plurimum augent, herbido semper  
solo, ad multiuaga Nili flumina, in quæ impatientes  
æstus subinde se mergunt, capite duntaxat extantes.  
Quis vero nõ miretur hoc tam grande animal è cicurum  
genere, tamq̃ fructuosum (quamuis enim anni parte ad  
mulctram hæ boues veniunt) antiquis scriptoribus &

nostris, & Græcis fuisse ignotum, ijs potissimum, qui  
 in profundo pisciculorum naturam curiosius conquisi-  
 uerunt. Quod vero dicunt aliqui hoc Plinio esse bu-  
 balum, quàm recte hi sentiant, facile apparebit, si v-  
 triusq; animantis descriptio animaduertatur. Finitimæ  
 Sueffulæ pascua eadem armenta inuitant, simili ratione,  
 gramine semper vestitis campis. Oppidum ipsum interijt  
 relictum à ciuibus, qui eadem cæli intemperie, circun-  
 fusis Clauij aquis, obsidente palude, patrijs coacti sunt  
 excedere laribus. Portentoso hæ aquæ sunt auctu, quæ  
 æstiuo in calore præter cæterarum morem redundantes,  
 descrescunt per hyemem. Fuit Sueffulanorum ea vallis,  
 quæ ad Caudinas protenditur furcas, persicis arboribus  
 tota consita, tum cerasis, quarum poma adeo proba sunt,  
 vt Perse & Cerasuntij à nobis potius petijisse, quam ad  
 nos misisse videantur. Sueffulanum agrum excipiunt  
 Nolanorum populeta, multiplicis generis amicta vi-  
 tibus, quæ vina fundunt, tum hybernis poculis lenia,  
 tum æstiuis excitando stomacho subaustera. At hi ciues  
 non eum fructum è frumentis capiunt, quem è generoso  
 palmite ad æstiuæ semina magis idoneo loco, quàm ad  
 hyberna, quocirca arbustis potius, quàm aruo student.  
 A Vesuij conflagratione de sparsis cinere, pumiceisq;  
 lapillis id accedisse existimandum est: alioqui ager hic  
 cum Capuæ latifundis non conferretur, neq; audire me-  
 ruiisset:

ruiſſet: Talem diues arat Capua, & vicina Veſeuo  
Ora iugo.

Nemo loci gnarus non videt hoc carmen ſpectare  
ad vniuerſum tractum circa Veſuuium. Nota erant  
loca hæc poëtae, qui Campaniam diu incoluerat, incole-  
batq̃, cum georgica mandaret litteris. De Nolanorum  
vero origine varia eſt opinio, quos alij Tyriorum ſobo-  
lem, alij Chalcidenſium prodiderunt. Ptolemæus id op-  
pidum nobis ereptum in Picentinos retulit, idq̃ non mo-  
do præter ius, verum etiam præter definitos à ſe Cam-  
paniæ terminos. Quasi vero geographis poſitos à ſe  
regionum limites & contrahere liceat & proferre,  
regum exemplo, qui ad ſuum arbitrium leges figunt,  
atque reſigunt. Nolanis contermini ſunt Abellani, non  
obſcuri quondam nominis, quippe conſcripti in cata-  
logo populorum, qui cum Turno aduerſus Latinum, &  
Æneam conſpirauerant:

Et quos maliferae deſpectant mœnia Belle.

Quo in nomine ad vitandum ex vocalium concurſu  
biatum poëta primam detraxit litteram, & pro Abelle,  
dictum eſt Belle. Quod ſi nominis inſpiciatur viſ,  
Bella, non Abella dicetur, id eſt bona. Ager enim Abel-  
lanus multis eſt accumulatus bonis, oleo imprimis, cuius  
laus eſt, quod ei vetuſtas tædium non affert, tum vino,  
pomisq̃ omne genus ſuauiſſimis, frumento non item, ut  
tamen

tamen minutas fruges ferre non recuset. Habet glandi-  
 feras sylvas, copiosus est castanearum arborum, quæ  
 suis nuces ad transmarinas mittunt provincias, quæ  
 stuoſa permutatione palmularum, & piperis. Addantur  
 ad venationem, corporisq; exercitationem, caprearum,  
 & aprorum repleti saltus, tum gelidi paſſim, ſalubresq;  
 fontes, & quod his omnibus manus eſt, viget in hac tem-  
 perie longæua ſenecta. Hæc eſt orientalis Campania,  
 Sarno terminata flumine, cuius aquæ nos à Picentinis  
 dirimunt, tam pigro labentes motu, ut utro fluant,  
 neſcias.

TIBI DEVS ÆTERNE ATQVE  
 OMNIPOTENS IMMORTALES  
 AGO GRATIAS,  
 CVIVS NUMINE, ET OPE CAM-  
 PANIAM SCRIPSI.

FINIS.

INTER

INTERPETATIO NOMINVM  
HVIVS CHOROGRAPHIÆ.

<i>Abella,</i>	<i>Auella.</i>
<i>Acerræ,</i>	<i>Acerra.</i>
<i>Acherusia palus,</i>	<i>La Coluccia.</i>
<i>Amyclanus sinus,</i>	<i>Il mar de Sperlonga.</i>
<i>Amphiteatram Capuæ,</i>	<i>Li Borlaschi de Capua.</i>
<i>Ampfanti vallis,</i>	<i>La valle de Frecento.</i>
<i>Atella,</i>	<i>douc'è hoggi Santo Arpino.</i>
<i>Auernus lacus,</i>	<i>il lago de tre pergole.</i>
<i>Aufona,</i>	<i>già desolata nel piano de Sessa.</i>
	<b>B.</b>
<i>Baianus sinus,</i>	<i>il mar de Baia.</i>
<i>Bauli,</i>	<i>Bacola, loco nel lito de Baia.</i>
	<b>C.</b>
<i>Campania,</i>	<i>terra de lauore.</i>
<i>Campana via,</i>	<i>Campanola nel territorio de</i>
<i>Calatia,</i>	<i>Caiazza. Pezzuli.</i>
<i>Cales,</i>	<i>Calvi.</i>
<i>Capua,</i>	<i>Capua.</i>
<i>Casilinum,</i>	<i>Castelluccio, un certo territorio</i>
	<i>tra Capua, e la foce del Voltorno.</i>
<i>Casinum,</i>	<i>San Germano.</i>
<i>Cisterna Miseni,</i>	<i>grotte Dragonara.</i>
<i>Cisterna Auerni,</i>	<i>piscina mirabile.</i>
<i>Cryptoporticus Capuæ,</i>	<i>le tre grotte che sono vicine.</i>
	<i>a li Borlaschi,</i>
<i>Cuma,</i>	<i>Cuma, se vedeno le rouine.</i>
	<b>F.</b>
<i>Falernus ager,</i>	<i>il territorio, che e da la Roccha</i>
	<i>de Monaragone sino al Voltorno.</i>
<i>Fibrenus fluius,</i>	<i>il fiume de la Postia.</i>
<i>Fossa Neronis,</i>	<i>Licoria.</i>
<i>Fucinus lacus,</i>	<i>il lagho de Fucino, ó de Celano</i>
	<i>Furca</i>

<i>Furca Caudine,</i>		oue hoggi è Arpaia.
	<b>G.</b>	
<i>Gallinaria sylvia,</i>		la peneta de Patria.
	<b>H.</b>	
<i>Herculanium,</i>		fu, doue e hoggi la torre del Greco.
	<b>I.</b>	
<i>Irpini,</i>		li populi, che sono mezi tra la valle Beneuentana, e la Basilicata.
	<b>L.</b>	
<i>Laboria,</i>		il territorio del Gaudò, se dice anche per altro nome Latino: Laborini campi.
<i>Leucogei colles,</i>		la Lumera.
<i>Liris fluvius,</i>		il Garghiano.
<i>Liternus fluvius,</i>		il fiume de Patria.
<i>Liternus lacus,</i>		il lago de Patria.
<i>Liternum,</i>		Citta desolata, il loco se dice Patria.
<i>Lucania,</i>		Basilicata, vnde Lucani.
<i>Lucrinus lacus,</i>		fu doue è hoggi il monte nouo, appresso il lago Auerno.
	<b>M.</b>	
<i>Magna Gracia,</i>		la Calabria soprana.
<i>Minturne,</i>		fu, doue è hoggi la scafa del Gari- gliano, de la qual se vedeno le reliquie.
<i>Misenus mons,</i>		Miseno.
	<b>N.</b>	
<i>Neapolis,</i>		Neapoli.
<i>Nola,</i>		Nola.
	<b>P.</b>	
<i>Pausilypus mons,</i>		Posilipo.
<i>Picentini,</i>		la costa de Amalfe.
<i>Pompeij,</i>		la torre de l, Annuntiata.
<i>Rotus Iulius.</i>		era esso lago Lucrino.
<i>Putcoli,</i>		Pezzuli.
<i>Putcolana crypta,</i>		la grotte passante, che e tra Pezzuli, e Neapoli.

Sara-

*Sannium,*  
*Sarnus fluius,*  
*Sauo fluius,*  
*Sebethus fluiiolus,*  
*Sinuessa,*  
*Stellatis ager,*  
Il qual confina con il territorio de Thiano, e de la  
Rocca de Mondragone.

*Suessa,*  
*Suessula,*

*Tifata montes,*  
*Theanum,*  
*Tholus Baianus,*  
*Trebula,*

*Venafrum,*  
*Venafrani campi,*  
*Vesuna,*  
*Vinius fluiiolus,*  
*Vulcanium forum,*  
*Vulturnus fluius,*  
*Vulturnum,*

S.

*Apruzzo, vnde Samnites.*  
il fiume de Scafali.  
il Saone.  
il fiume de la Matalena.  
la rocca de Mondragone.  
il territorio de Carinole.

*Sessa.*  
fu, doue è la torre detta de Sessola.

T.

li monti sopra lantiqua Capua.  
Thiano.  
il Truglio de Baia.  
fu tra Capua, e Sessola, oue appa-  
reno li vestigi del teatro.

V.

*Venafro.*  
il piano de Venafro.  
fu nel piano de Sessa.  
il fiume de san Germano.  
la Solfatara.  
il Voltorno.  
castello à mare del Voltorno.



DE CAMPANO AM-  
PHITEATRO.



*L* Mmanem quisnam molem, quis grandia  
saxa.

*Equavit cæli nubibus aligeris?*

*Montibus impositos montes quæ deinde  
ruina*

*Deicit è cæli nubibus aligeris?*

*Celsa giganteis manibus fabricata superba est  
Machina, forma tamen Dædaleo ingenio.*

*Mirati sunt Græci impostum Pelio Ofsan,  
Impia gens superis quum fera bella ciet.*

*Hoc opus egregium miretur Græcia, summo  
Quod vicit rupes vertice Thessalicas.*

*Non par auricomus Phæbus spectavit eoo  
A Gånge ad Gades, Herculeumq; mare*

*Campani heic plausere olim iuuenesq; senesq;  
Et factoresonant alta Tifata sono.*

DE

DE

DE

DE INCENDIO VESUVII  
VII EX TITO DIONIS NICÆI,  
INTERPRETE XYLANDRO.




*PER* id tempus accidere in Campania horribilia quædam, quæ magnam admirationem habent. Nam sub autumnus tempus ingens incendium repente excitatum est, eoq̄ mons Vesuvius conflagrauit. Is mons mare spectat ad Neapolim, habetq̄ fontes ignis maximos: ac olim quidem ex omni parte excisus erat, sed tunc ex medio eius ignis extitit. Nam ea parte tantum exustus est: extrinsecus enim intactus integerque permanet ad hæc tempora, ex quo fit, ut cum ignis externas partes non exurat, eaque, quæ sunt in medio, consumantur igni, rediganturque in cineres, vertices, qui circum sunt, vsq̄ adhuc veterem altitudinem habeant, & quæ pars igni consumpta est, dum in se coit, concaua facta sit, ita ut totus mons (si licet parua cum magnis conferre) formam habeat amphitheatri. Culmina eius montis multas arbores habent, vitesq̄: ipse interius circuitu propter ignem decliuus est: utq̄ fumum interdum, ita noctu flammam reddit, ita ut in eo suffimenta cuiusuis generis fieri semper videantur. Quod cum ita se habeat, nec semper eodem modo, id magis aliquando, interdum minus facit: ad hæc puluerem projicit, quoties simul aliquid subsidit, emittitq̄ saxa

F 3. facto.

uiana aedificia vni cum libris, templum Iouis Capitolini  
cum proximis templis igni consumpta sunt. Ita id ma-  
lum diuinum potius, quam humanum fuit. Licet enim  
ex ijs quae commemorauimus, caetera quae in eo incendio pe-  
rierunt, conijcere. Titus ad Campanos misit duos viros  
consulares, qui colonias eò deducerent, ijsq; grandem pe-  
cuniam dedit, atq; eam potissimum, quam reliquissent  
ij, qui sine haeredibus mortui essent. Ipse nihil à priuatis,  
aut ciuitatibus, aut regibus, cum ei multa da-  
rent ac pollicerentur, accepit: quin  
etiam ea, quae adhuc apud se  
habebat, restituit.








Gebunden  
von  
L.A. GARBE  
Rostock  
Breite Str. 25.



uiana aedificia vna cum l  
cum proximis templis ig  
lum diuinum potius, qu  
ex ijs que commemorau  
rierunt, conijcere. Titus  
consulares, qui colonias e  
cuniam dedit, atq; eam  
ij, qui sine heredibus mor  
aut ciuitatibus, aut  
rent ac pollicer  
etiam ea, q  
habeba



m Louis Capitolini  
sunt. Ita id ma  
fuit. Licet enim  
in eo incendio pe  
s. misit duos viros  
ijsq; grandem pe  
quam reliquissent  
se nihil a priuatis,  
ei multa da  
it: quin  
id se

